



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

§. 2. Quot modis peccetur in sextum decalogi præceptum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

Prohibentur etiam à fortiori obscœna omnia desideria, & turpes affectus, quando quis deliberatè appetit, & vult actum aliquem luxuriosam perpetrare. Et hæc desideria eandem cum ipsis actibus desideratis deformitatem induunt: unde qui mulierem conjugatam turpiter concupiscit *S. Matt. 5. iam machatus est eam in corde suo*, ut ait Christus Dominus; & coram Deo adulterii reus efficitur.

Præterea oscula, tactus, quæ fiunt ob carnalem, & veneream delectationem quæ ex illis percipi potest, sunt etiam peccata mortalia hoc præcepto prohibita: quamvis enim (ut rectè observat *S. Doctor 22. q. 154. a. 4.*) hæc & similes actiones sint ex genere suo indifferentes, possintque secluso quovis libidinoso affectu licite exerceri; e. g. si quis mulierem osculetur eam salutando, quia talis est consuetudo patriæ, vel ob aliquam aliam causam rationabilem; si tamen nulla ejusmodi causa subsit, nec aliud in osculis, tactibus, & aspectibus intendatur, quàm delectatio illa, quæ carnè afficit, & ad libidinem excitat; tunc secundum mentem *S. Doctoris* peccati mortalis reatus incurritur.

§. II.

*Quot modis peccetur in sextum Decalogi præceptum.*

**E**X dictis colligi potest quot & quàm variis modis peccetur in hoc Decalogi præceptum. Atq; in primis peccant contra illud qui turpium rerum cogitationibus, aut imaginationibus deliberatè intendunt ut illis delectentur: qui delectationes illas suboriri advertunt, nec illas protinus abijciunt, sed potiùs fovent: qui legunt libros impudicos: unde tales cogitationes, & delectationes porrumque oriri solent: qui intendunt in imagines, aut picturas obscœnas, & ad libidinem aspectu sui excitantes, aut illas domi expositas habent, unde alii occasione peccandi sumere possunt; qui turpes cantilenas aut verba

obscena proferunt, aut ab aliis prolata libenter audiunt: qui Comædiis, aut aliis spectaculis, vel saltationibus & choreis delectantur, in quibus advertunt se graves adversus castitatem tentationes experiri, iisque ut plurimum succumbere: qui notabiliter in cibo vel potu excedunt, unde in ipsis motus impudici & aliquando pollutiones oriri solent, quibus fere semper consensum præbent.

Qui vestitu, aut gestu aliquo immodesto, vel aspectu aliis huius peccati occasionem præbent: qui se vel alias personas impudice aspiciunt: qui osculis aut tactibus libidinosus delectantur: qui voluntate sola, aut etiam actu ipso committunt peccatum fornicationis, stupri, adulterii, sacrilegii, incestus, aut raptus; qui in peccatum molliæ delibere incidunt, pollutionibus delibere delectantur; aut eas sibi tactibus impudicis vel aliis modis procurare conantur: qui in infandum Sodomæ aut bestialitatis crimen perpetrant, aut aliis illicitis aut infamibus concubendi modis se polluunt.

## III.

*Quanam restitutiones ob huius præcepti transgressionem faciendæ sint.*

**D**VOBUS præsertim casibus obligatio restitutionis alicuius faciendæ huius præcepti transgressoribus incumbere potest, nimirum ratione stupri, vel adulterii.

Quod ad stuprum spectat, certum est in primis illum, qui virginem aliquam conjugii promissione decepit, & sub ejusmodi spe corporis illius usuram impetravit, ad eam in matrimonium ducendam obligari, etiamsi fictè tantum & dolosè promiserit. Ita Nav. Sot. Adrian. & alii apud Less lib. 2. c. 10. dub. 3. si tamen esset conditionis valde inæqualis, aut si promissionem implere non posset, pura quia est cõiugatus; aut si ex illius promissionis impletione grave aliquod scandalum timeatur; tunc promissioni satisfacere censetur, si sufficientè illi, pro ratione cõditionis, &